



**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesu Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 6. Vtrum esse Caput Ecclesiæ sit Christo proprium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](#)

### Quæst. 8. De Gratia Christi, ut est Caput Ecclesia. Art. 6.7.8. 69

<sup>11</sup>  
Gratia  
Capitis  
potissimum  
fundatur  
in unionem  
hypostaticam.

habere potestatem influendi vitam spiritalem; vel certè regendi & illuminandi; atqui haec potestas, præter gratiam vniuersitatis, & dona habitualia, nihil reale intrinsecum addit: sed solum ius quoddam, & morale potestatem ex diuina ordinatione prouenientem: Sicut esse Regem, super opes & prudentiam, nihil addit nisi ius quoddam regendi, proueniens ex concessione Reipublicæ.

Petes, Vtrum haec gratia Capitis, principalius fundetur in vniōne hypostatica, An in gratia habituali? Respondeo; potissimum fundari in vniōne: Nā haec dignitas capitis, & potestas gubernandi omnia, potissimum erat debita naturæ humanae ob vniōnem cum Verbo. Secundariò tamen fundatur in gratia habituali: nam haec in Christo fuit summa, & incomparabiliter maior quam in alijs. Vnde etiam ratione huius, conueniebat vt illi haec potestas & authoritas regia daretur.

Circa Responsionem ad Primum, Notandum est: Sicut peccatum Adami, se habet ad peccatum originale omnium hominum, instar cause ad effectum, ita Christi iustitia, ad iustitiā baptismalem omnium baptizatorum, tamquam causa ad effectum. Et sicut idem peccatum Adami, erat peccatum personalis inficiens ipsius personam, & etiam erat peccatum capitis, habens vim inficiendi & influendi in omnes tamquam in membra, qui ex ipso gignuntur: Ita eadem Christi gratia, seu iustitia, erat personalis, sanctificans ipsius personam: & erat gratia capitis, habens vim influendi in alios. Cetera consilunt potius in verbis, quam in re.

### ARTICVLVS VI.

#### Vtrum esse Caput Ecclesia sit Christo proprium?

<sup>12</sup>  
R Espondeo; Esse Caput Ecclesia secundum internum influxum, per modum cuiusdam causæ principalis, est proprium Christo. Nam eius solius humanitas propter coniunctionem cum diuinitate, habet vim iustificandi, tamquam causa suo modo principalis. At esse caput secundum externam gubernationem, potest etiam alijs comunicari. Ratio est, quia haec sit per quandam potestatem Iurisdictionis, quæ communicari potest.

<sup>13</sup>  
Quomodo  
Pontifex  
sit Caput  
Ecclesie,  
dixerimus.  
de à Chri-  
sto.

Notandum est, summum Pontificem dici, & esse Caput vniuersalis Ecclesia: longè tamen inferiori modo, quam Christum. Primo, Quia non potest tota Ecclesia gratiam promereri, neque ex condigno, neque ex iustitia. Secundo, Quia non potest sua autoritate, aut immediate, internum gratia influxum præbere: sed tantummodo exterius gubernare, & Sacraenta tamquam Christi minister applicare. Tertio, Quia etiam hanc potestatem externa gubernationis, & applicationis Sacramentorum, accepit a Christo, tamquam eius Vicarius; eaque potestas solum pertinet ad exequendum illa, quæ à Christo sunt instituta, & ordinandi quæ ad hoc oportuna. Quartò, Quia tantum gubernat homines viatores, id que breui tempore.

<sup>14</sup>  
Dignitas  
Capitis ut  
in Christo  
est pura  
creatura  
incommu-  
nicabilis.

Petes, An nullo modo possit haec dignitas Capitis perfectè communicari nudæ creature? Respondeo; non posse cum ea perfectione, quæ est in Christo: tūm, quia nulli potest esse ita debita, si-

cut Christo; tūm, quia in nomine potest esse tam efficax ad meritum & satisfactionem, quam est in Christo, ob coniunctionem cum persona diuina. Potuit tamen communicari imperfectiori modo; vt dicemus infra de Sacramentis.

### ARTICVLVS VII.

#### Vtrum Diabolus sit caput omnium malorum?

<sup>15</sup>  
R Espondetur; Diabolus, id est, Lucifer, est caput omnium malorum: non quidem secundum internum influxum; quia non potest in mentes eorum immediatè malitiam inferre; sed secundum externam gubernationem. Sicut quilibet Princeps est caput multitudinis, quam gubernat.

Notandum Primo, Cūm Diabolus dicitur caput omnium malorum, intelligendum de Lucifero, non autem de toto ordine diabolico, vt vult Caetanus art. sequenti sub finem. Quod patet, Quia Lucifer omnes alios, & dæmones & homines, vel mediatè, vel immediatè ad peccatum induxit: vt docet D. Tho. ad 2. Vnde dicitur Rex super omnes filios superbia Job 41. v. 25. Omnis enim superbia ab ipso est deriuata, & ipse omnes in superbia excedit. Cū autem Christus, vel Deus dicitur Princeps vel caput super omnes dæmones; intelligendum est ratione perfectæ potestatis in illos, & peccata quam infligit. Eadem enim multitudine secundum diuersos fines, & diuersos regendi modos, potest diuersa habere capita. Sicut eiusdem populi caput, est Pontifex in spiritualibus; & Rex in temporalibus.

<sup>16</sup>  
Notandum Secundò, Diabolum non habere perfec-  
tæ potestatem in peccatores, quam diu tentatio  
sunt in via: quia non potest eos amplius tentare, demonis  
quam Deus permittat. Et quamuis etiam possit in peccato-  
res & in iustos, non est tamen caput illorum; tūm, tentatio  
quia illa tentatio est solum hostilis oppugnat, iustos est  
non gubernatio: tūm, quia iusti non sunt ei sub-  
iecti; sed ipso potius sunt fortiores.

### ARTICVLVS VIII.

#### Vtrum Antichristus sit caput omnium malorum?

<sup>18</sup>  
R Espondetur; Antichristum esse caput omnium malorum; intelligi, hominum. Non quomodo in omnes malitiam infundat, vel ad eam pertrahat; sed quia in ipso malitia erit perfectior, quam in quois aliorum, qui ab initio mundi extiterunt. Vnde omnes mali, qui ab initio fuerunt, sunt figura Antichristi; quod insinuat Apostolus 2. ad Thessal. 2. v. 7. Nam mysterium iam operatur iniquitatis. Qui locus intelligitur de Antichristo, vt docet D. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 14. Et Irenæus lib. 3. contra Hæreticos cap. 7. Et fatus patet ex contextu Apostoli. Inter variis expositiones huius loci, videtur haec commodissima: Impij, vt Nero, & hæretici, qui sunt figura illius plena malitia, quam erit in Antichristo; iam vim suam exerunt. Vel: In Nerone, & hæreticis Christi persecutoribus, Diabolus operatur